

rio valebit, text. in l. A marito, Cod. eodem tit. text. in l. Etiam, eodem tit. text. in dist. cap. fin. extra eodem, text. in l. 4. tit. 11. part. 4. Si autem ambo simul decedant, puta ruina, incendio, naufragio, vel quovis alio casu fortuito, bene confirmatur: text. est in l. Cum hic status. §. Si ambo. ff. eod. & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. Azor. in Summa, Cod. eodem tit. final. column. num. 32. Ex quibus infertur, quod ista donatio non confirmatur morte in tribus casibus: Primus est, si donator revocavit expressè: Secundus est, si revocavit tacite per aliquas probabiles & verisimiles conjecturas: Tertius est, si donatarius qui donationem recepit, prius decedat: ita probant omnia prædicta jura, & est text. formalis & expressus in dist. cap. fin. extra eodem. Unum tamen est; quod dicebat Bartol. in leg. Cum hic status. §. Si maritus. ff. eodem, quod per solam penitentiam & verbalem revocationem ejus donatio non censetur revocata, nisi etiam revocetur traditio vel possessio à donatario: quod apertè est falsum & non tenendum per prædicta jura superiora; & in expresso ita probat text. in dist. leg. Cum hic status. §. At orat. versic. Penitentiam, eodem tit. & ibi communiter DD.

Advertendum etiam, quod omnia superiora habent locum & procedunt quando matrimonium valet & tenet de jure inter maritum & uxorem: secus tamen est, si matrimonium inter eos non valet nec tenet, etiamsi contraxerunt ignoranter; quia tunc ista donatio non confirmatur morte, sed indistinctè revertitur ad donatorem: text. est singularis & expressus in dist. leg. Cum hic status. §. Si quis sponsam. ff. de Donat. inter virum, & uxorem, & ibi notant & commendant DD. & illum textum ad hoc reputat singularem Bald. in leg. Eam quam, Cod. de Fideicom. 6. column. num. 22. & Jacob. de Sanct. Georg. in leg. 3. in fin. ff. de Jure dot. text. in leg. Si ex voluntate, Cod. de Donat. inter vir, & uxorem, & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. tenet etiam Anch. & communiter Canon. in dist. cap. fin. extra eodem tit. Bald. Novel. in tract. Dotis 11. part. 10. membro.

66 Valet tamen ista donatio inter maritum & uxorem in casibus sequentibus: Primus est, quando non est mera donatio, sed venditio, permutatio, vel aliis contractus onerosus, & pretium æquipollet rei: secus verò aliis; quia in eo quod remittitur, vel non æquipollet, reputatur donatio & non valet: text. est in l. Si sponsus circa vendit. ff. de Donat. inter virum & uxorem, & ibi communiter DD. text. in leg. Si donare, §. fin. Cod. eodem tit. Secundus est, quando inter eos fit donatio causa mortis; quia

cessat ratio prohibitiva, & confertur in tempus mortis, quo unus potest alteri legare, vel per fideicommissum relinquere, & potest ad libitum in vita revocare: text. est in leg. Si cum servam, vers. fin. cum leg. seq. ff. de Donat. inter virum & uxorem, cujus verba sunt: Inter virum, & uxorem mortis causa donationes receptæ sunt à jure: quia in hoc tempus excurrit donationis eventus quo vir & uxor esse desinunt: & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. Ex quo notabiliter infero, quod si maritus & uxor ad invicem & reciproce sibi donant hoc modo & pacto, ut qui præmoriatur lucretur & habeat bona alterius per tempus vite suæ; talis donatio valet, & non est reprobata: Primo, quia videtur esse donatio causa mortis: Secundo, quia nemo fit pauperior, & per consequens cessat ratio prohibitiva: Tertio, quia propter vicissitudinariam & reciprocam conditionem mortis appositam in contractu, quæ potest verificari in uno vel in alio, non censetur aliquis eorum læsus, nec videtur reprobanda talis donatio, argumento text. qui est singularis & unicus in suo casu, in l. Fideicommissio, Cod. de Transact. & in expresso ita tenet Cin. in l. Si pater puella, Cod. de Inoffic. testament. & Joan. Pirthus in tract. de Mutua donatione, 7. vol. in fin. tract. 1. column.

Tertius est, quando fit inter eos donatio pro consequenda aliqua dignitate vel honore: text. est in l. Quod adipiscenda, cum duabus seq. ff. de Donat. inter virum, & uxorem. Quartus est, quando fit ista donatio ex causa remunerationis alicujus muneris vel beneficii recepti: text. est in leg. Quod autem, §. Si vir, & uxor. ff. de Donat. inter vir & uxorem, cujus verba sunt: Si vir, & uxor invicem sibi donaverint, & maritus servaverit, uxor consumpserit, rectè placuit compensationem fieri donationum, & hoc Divus Adrian. constituit, text. in leg. Sed & si lege, §. Consuluit, ff. de Petit. hered. text. in l. Aquilius Regulus, ff. de Donat. text. in leg. Si poter, §. fin. eodem tit. Ex quo infertur, quod si maritus senex vel ignobilis donat uxori suæ propter nobilitatem vel juventutem, valebit donatio; quia potius dicitur remuneratoria, quam simplex: & in expresso ita tenet Gloss. singularis & ordinaria in leg. Si voluntate, Cod. de Dotis promiss. quam ibi notant & commendant Bartol. & communiter DD. Moderni, maxime Jas. in l. Si divorcio, ff. de Verbor. obligat. Abb. ubi reputat singularem in cap. 1. de Adulteris, Socin. in l. 1. ff. Solut. matrim. 12. col. vers. Secunda conclus. sit. Palac. Rub. ubi plura cumulat, in sua Repet. cap. Per vestras, 17. fol. column. 2. cum 5. sequentib.

Quintus est, quando quis eorum non fit

pauperior, licet alter efficiatur ditior; puta, si renuntiavit hæreditatem, legatum vel fideicommissum sibi relictum, ut perveniat ad alium, qui est substitutus, vel ab intestato successurus; quia tunc valet & tenet, quia cessat ratio fundamentalis prohibitiva. (c) text. est singularis & expressus in leg. Si Sponsus, §. Si maritus, el 2. ff. de Donat. inter virum, & uxorem, cujus verba sunt: Si maritus hæres institutus repudiet hæreditatem donationis causa, Julianus scribit lib. 17. Digestor. donationem valere: nec pauperior fit qui non acquirit, sed qui de patrimonio suo deposuit: repudiatio autem mariti mulieri prodest si vel substituta mulier sit, vel etiam ab intestato hæres futura: simili modo, & si legatum repudiet, placet nobis valere donationem, & ibi notant & commendant Odofred. & communiter DD. facit etiam bonus text. in leg. Profectitia, §. Si pater, ff. de Jure dot. ubi habetur, quod si pater repudiavit hæreditatem vel legatum in favorem generis & mariti filiae suæ, ut sibi quæretur, non dicitur dos profectitia, ut possit repeti soluto matrimonio: facit etiam text. in leg. Qui autem, ff. de his quæ in fraud. credit. ubi habetur, quod licet potest debitor repudiare hæreditatem vel legatum in fraudem creditorum, nec fit revocatio per edictum illius tituli; quia licet non acquirat de novo, tamen non diminuit patrimonium: text. est in leg. Cum oportet, §. fin. autem, Cod. de Bon. quæ lib. ubi habetur, quod licet donatio inter patrem & filium non valeat, tamen bene potest pater renuntiare usufructum quem habet in bonis filii in ejus favorem: & ad hoc notant & commendant ibi communiter DD. text. in leg. penultim. ff. de Collation. bonor. ubi, si pater illud quod post mortem tenebatur solvere filio, dedit & solvit in vita, non tenetur aliis fratribus conferre. Ex quibus infertur, quod uxor poterit renuntiare lucris quæsitis constante matrimonio in favorem mariti: & ita dico & teneo in leg. 60. infra his legibus Taur. ubi omnino vide. Nec prædictis obstat text. notabilis in leg. Magis puto, §. Si fundum, ff. de Rebus eorum, ubi minor, etiam cum autoritate tutoris vel curatoris non potest repudiare legatum rei immobilis sibi factum, sine decreto. Quia illud est verum in minore, qui non solum prohibetur non alienare nec diminueri patrimonium, sed etiam prohibetur desinere acquirere: jura verò prædicta loquuntur

quando quis solum prohibetur diminueri patrimonium: de quo articulo latius trado & dico in leg. 60. infra, his legibus Taur.

Sextus est, quando in tali donatione interveniat juramentum; quia tunc statim valet & tenet, argumento text. in capit. Cum contingat, de jurejur. & in cap. Licet mulieres, eodem tit. lib. 6. & in cap. Significante, de pignor. & in cap. Quamvis pactum, de pactis, in 6. & in Authent. sacramenta, Cod. Si adversus vend. & in expresso ita tenet Bartol. in leg. Si quis pro eo, ff. de Fidejuss. fin. column. in fin. & ibi alii DD. idem Bartol. in leg. Sejus Angerius, ff. ad leg. fal. fin. quæst. & ibi DD. præcipue Alexand. penult. column. Guiller. Alber. & alii DD. antiqui in l. Sed si possessori, §. Item si juravero, ff. de Jurejur. Bald. in leg. 2. ejusdem tit. fol. 12. column. 3. versic. Est etiam simile, &c. Joan. de Imol. & Modern. in leg. Si quis inquilinus, §. fin. ff. de legat. 1. Paul. de Castr. Jason & alii DD. in leg. Pacta quæ contra, Codic. de Pactis, Angel. de Pen. in pen. §. Mulier, ff. Solutio matrimon. Joan. Andr. in Addit. ad Specul. in tit. de Donation. inter vir. & uxorem, final. quæst. Abb. & alii DD. in capit. Cum contingat, de jurejur. præcipue Imol. ibi num. 89. idem Abb. in cap. fin. de Donation. inter virum, & uxorem, 1. column. quæst. 3. & ibi communiter DD. Cardin. in Clem. 1. §. Porro, de Jurejur. 5. quæst. Fed. de Senis notat in consil. suor. consil. 140. Alexand. 2. vol. cons. 8. column. 2. num. 10. Palc. Rub. in sua Repet. capit. Per vestras, fol. 31. column. 3. versic. Limita tertio, Roder. Suar. in Allegationibus suis, fol. 31. quæst. 3. princ. & ista est communis opinio.

Septimus est, quando quis eorum debet alteri in diem, vel ad certum tempus aliquam rem vel quantitatem, quia ante solvere potest; & licet illo medio tempore videtur gratis dare, tamen non attenditur, cum originalis causa vel temporis sit operosa, præcisa, vel obligativa: text. est in l. Sed si vir, §. Quod vir, ff. de Donat. inter vir. & uxorem, cujus verba sunt: Quod vir uxori in diem debet sine metu donationis in præsens solvere potest, quamvis commodum temporis retenta pecunia vir sentire potuerit, & ibi notant communiter DD. facit text. in leg. In diem, ff. de Condit. indeb. ubi habetur, quod licet ille qui solvit indebitum possit repetere, non tamen ille qui solvit ante diem vel tempus.

Octavus est, quando ista donatio fit inter

(c) Hanc sententiam tenet Alciat. in cap. Cum contingat, num. 108. de Jurejurand. receptamque testantur Gregor. in leg. 4. tit. 11. part. 4. gloss. 1. Dues. reg. 215. ampliatione 2. Menchac. de Success. treat. §. 29. numer. 11. Covarrub. 2. part. Rab. de Test. numer. 10. & plures alii relati à Gutierrez. de Juram. confirm. 1. part. cap. 3. num. 3.



Imperatorem, & Imperatricem, vel Regem, & Reginam: text. est in leg. penult. Cod. de Donat. inter virum, & uxorem, & ibi communiter DD. facit etiam text. in leg. Cum multa, Cod. de Bon. quæ liber. text. in leg. Bene à Zenone, Cod. de Quadrian. pres.

Advertendum tamen, quòd omnia suprà dicta videntur intelligi, quando donatio ista fit inter maritum & uxorem post nuptias celebratas, & copulam & translationem ad domum: secùs verò aliàs inter sponsum & sponsam de præsentì; quia licet inter eos sit verum matrimonium, tamen non est tantus amor & affectio, & videtur cessare ratio fundamentalis prohibitiua, & per consequens valet donatio: & in expressò istam sententiam & conclusionem tenet originaliter Azor. in Summ. Cod. de Donat. ante nupt. fin. column. in fin. & reputat novum & singulare Joan. de Imol. in l. Si socer. §. Lucius. ff. Solut. matrim. 3. col. versic. Et attende bene. Joan. Pyrrhus in tractat. de Donatione mutua, 7. vol. in fin. tractat. column. 2. versicul. Quarto confirmo. Alexand. ubi reputat mirabile in additionibus ad Bar. in leg. Si sponsus. §. Si uxor. ff. de Donation. inter virum, & uxorem. Camp. in tractat. Don. 1. part. quæst. 79. Sed salva eorum pace, ego teneo contrarium, imò quòd donatio ista non valeat inter sponsum & sponsam de præsentì; & omnia quæ dicta sunt inter maritum & uxorem, habeant locum inter sponsum & sponsam: Primò, per textum & ejus regulam in l. Nupt. ff. de Reg. jur. Secundò, per text. in l. Non sine, versic. Quamvis, Cod. de Bonis maternis, ubi habetur, quòd dispositio loquens in marito & uxore, extenditur ad sponsum & sponsam ex identitate rationis: sed tantus amor & affectio consideratur inter eos uno tempore sicut in alio, & fortè major: ergo habeat locum eadem dispositio, ut donatio infirmetur. Tertio per textum notabilem in l. penultim. ff. de Donat. inter virum, & uxorem, ubi aperte probatur, quòd donatio facta ante solemnitate nuptiarum, valet & tenet: & in terminis istam sententiam & conclusionem contra Azor. tenet Joan. de Imol. in leg. Mævia. ff. Solut. matrim. in fin. Alexand. in leg. Si socer. §. Lucius eodem titul. fin. column. in fin. Salyc. in dict. l. penult. Socin. in Cons. suo, cons. 123. volum. 1. Palac. Rub. latè & singulariter in sua Repet. fol. 33. col. 2.

(d) Et vide Gutier. de Juramento confirmatorio, 1. part. cap. 3. num. 96. hancque sententiam tenet Duën. regul. 221. limit. fin. Gutier. ubi suprà.

(e) Vide relatos per Caldum Peroyr. in leg. Si curatorem habens, column. 345. versicul. Inde inferens.

versic. Limita septimò. Confirmatur, quia successio quæ fit ex titulo unde vir, & uxor. habet etiam locum inter sponso de præsentì: ita tenet Bald. in l. fin. Cod. Unde liberi, 4. column. num. 12. Salyc. Dec. Curt. & Modern. in l. 1. Cod. Unde vir, & uxor.

Hodiè tamen de jure regio omnia quæ dicta sunt in ista donatione habent locum & procedunt intra annum tantum à die matrimonii contracti; postea verò bene valet: quia prædicta ratio fundamentalis suprà assignata, scilicet, ne mutuo amore se expolient, viget & habet locum illo tempore tantum; quia postea non videtur esse inter eos ille amor fervens & fortis, sed amor licitus & honestus, & non ita intensus: ita disponit lex singularis & unicus in l. 3. tit. 12. lib. 3. For. II. quam reputat singularem Palac. Rub. in sua Repet. cap. Per vestras, de Donat. inter virum, & uxorem, fol. 32. column. 4. (d) Si tamen fieret intra annum, confirmaretur per lapsum ejus: Item confirmaretur morte donantis: Item, in casibus in quibus valeret constante matrimonio de jure communi, valebit infra annum de jure Regio.

66. Finaliter & postremò quæro, si donator in vita vel morte revocat prædictam donationem, & donatarius, qui eam recepit, consumpsit & non possidet eam, an revocatio aliquid operetur? in quo articulo dico, quòd si eam consumpsit utiliter, taliter quòd ex ea est factus locupletior, tenetur in illa æstimatione: si verò inutiliter, taliter quòd ex ea in aliquo non est factus locupletior, nullo modo tenetur: text. est in l. Sed si vir. §. Non videtur. ff. de Donat. inter virum, & uxorem. tenet text. in leg. Quod. autem. §. Si maritus eodem titul. facit text. in leg. Si eum servum. ff. Si cert. petat. text. in l. Si & me, & Titium eodem titul. facit etiam Gloss. notabilis ordinaria in leg. His solis. ff. de Cond. indeb. & ibi Bart. & communiter DD. Ex quibus utiliter & necessariò quæro, an dona vel munera, quæ offeruntur sponsæ vel uxori tempore nuptiarum vel matrimonii à consanguineis sponsi vel mariti, efficiantur propria ipsius sponsæ, vel mariti, vel efficiantur communia? In quo articulo, magistraliter & resolutivè dico, quòd si donantur utrique simul ab extraneis vel amicis, efficiuntur communia, sicut cætera bona superlucrata; argumento text. in l. Reos. §. Cum in tabulis. ff. de Duobus reis, cum simil. (e) si verò

simul & simpliciter donentur utrique ab alio ex consanguineis sponsi vel mariti, sibi soli quæritur, non verò sponsæ vel uxori; argumento eorum quæ statim dicam: Si verò dantur à consanguineis sponsi sponsæ tempore sponsaliorum vel ipso die nuptiarum, censentur donata ipsi sponso, & ab sponso sponsæ, & iudicantur sponsalitia largitas, & per consequens lucrabitur medietatem per osculum, & totum per copulam, & si nihil horum intervenerit, nihil lucrabitur, sed soluto matrimonio, tota donatio revertitur ad sponsum, ut suprà diximus in sponsalitia largitate: Si verò dantur à consanguineis mariti uxori ejus constante matrimonio, censentur donata ipsi marito, & à marito donata uxori; & per consequens confirmatur morte mariti, vel per lapsum anni: nisi maritus antea revocet, vel uxor præcedebat; quia tunc revertitur ad maritum, sicut donatio inter virum, & uxorem, sicut suprà dictum est in ea: quia omnia illa quæ ibi dicta sunt habebunt locum in ea: argumento text. in leg. Sed si plures. §. In arrogato. ff. de Vulgar. & pupill. ubi habetur, quòd si pater arrogator dedit substitutum pupillarem filio arrogato, ad eum pertinebunt omnia bona quæ pervenerunt filio arrogato ab ipso patre vel à consanguineis ejus; quia contemplatione patris videntur data: textus in leg. 3. §. fin. ff. de Donation. inter virum, & uxorem, ubi habetur, quòd si quis volebat donare aliquam rem marito, & ipse voluit & jussit ut daretur uxori, ipse maritus videtur donare uxori; & dicitur propriè donatio inter virum & uxorem: textus in leg. In ædibus. §. Quod si filius fam. ff. de Donat. ubi, si quis donat rem patris vel alterius de voluntate & consensu ejus, ille videtur donare: Et in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Bartol. in dicta leg. Sed si plures. §. In arrogato. ff. de Vulgar. & pupillar. in fin. & ibi notabiliter Paul. de Castr. Joan. de Imol. Alexand. & Jas. idem Alexand. Jas. Corn. & Modern. in leg. Ut lib. Cod. de Collat. Angel. de Aretin. in §. Fuerat, Instit. de act. 19. column. num. 27. Palac. Rub. latissime in sua Repet. cap. Per vestras, fol. 24. column. 3. versic. Unde si frater, cum 4. sequentibus. & ista est verior & communior opinio secundum Modernos, ubi supr. Licet Glossa aperte vellet contrarium in dicta leg. Ut liberis, in verb. In ipsos sponso, & ibi Angel. Roman. & alii DD. Bald. in leg. Cum in ter. Cod. de Donat. ante nupt. Salyc. in leg. Neque inter eas. Cod. de Donat. inter virum & uxorem. Angel. de Aretin. & alii DD. in dicta leg. Sed si plures. §. In arrogato, de Vulgar. & pupillar. pro qua sententia & conclusione contra communem facit fortis textus in leg. Si mater. Cod. de Donat. ante

nupt. textus in leg. Si consentiente, eodem titul. textus in leg. Sine in vacuam. Cod. de Don. inter virum & uxorem. Quibus responde ut per DD. in dictis locis. Ex quo infertur quòd si pater vel mater sponsi donavit sponsæ, teneatur sponsus conferre; quia ejus contemplatione & nomine ejus & ex sua legitima & portione videtur datum: de quo suo loco dixi.

Item adde, quòd bene potest quis donare suæ concubinæ, & valet donatio; textus est in leg. Affectiois. ff. de Donat. & ibi Glossa ordinaria; Bartol. & communiter DD. textus in leg. Donationes in concubinam, eodem titul. facit etiam textus in leg. 4. §. Sed quod meretrici. ff. de Condit. ob turp. caus. & ibi DD. textus in leg. Mercalem. Cod. eodem titul. Et non solum competit ei datorum retentio, sed actio promissorum, secundum Bartol. & communiter DD. in dicta leg. Affectiois, contra Glossam ibi: & tenent latè DD. in dicto §. Sed quod meretrici. Et an hoc sit licitum in conscientia? vide notabiliter Abb. & DD. in cap. Quia plerique, de Immun. Eccles. & Palac. Rub. fol. 22. column. 4. cum sequentibus. Quod tamen limita & intellige in privato: secùs verò in milite; quia non potest donare concubinæ: Cujus ratio potest esse, quia in eis requiritur major castitas, ut sint audaciores ad prælium, & non fiant debiles: textus est in lege 2. Cod. de Donat. inter virum & uxorem, textus in leg. Miles. §. Ita mulier. ff. de Militari testament. & utrobique Glossa ordinaria, & communiter DD. Et idem est in clerico coelestis militiæ, Doctore vel Advocato, secundum Bart. & DD. ibi. Ex quo videtur inferendum, quòd idem sit in istis Commendatariis Sancti Joani vel Sancti Jacob. vel Calatravæ: & ita habui in quæstione de facto, in qua habui judicare. Unum tamen est: quòd ad hoc ut sit miles, & gaudeat suis privilegiis, oportet quòd fecerit solemnitates, de quibus in Glossa singulari in leg. penultim. ff. Ex quibus caus. maj. quam reputat singularem & unicum Albert. ibi, & communiter alii DD. Item videtur requiri quòd sit in expeditione belli; quia cessante causa privilegii, debet cessare privilegium: ita latè tenet & concludit Alexand. melius quam ibi in leg. Centurio. ff. de Vulg. & pupill. 4. column. num. 20. & ibi alii Modern. Sed resolutivè dico, quòd milites nostri temporis, qui sunt in aliquo certo loco causa belli parati pro defensione Reipublicæ vel Principis, & per consequens isti Commendatarii gaudent privilegio: Ita notabiliter Alexand. ubi suprà, & ante eum tener Cin. in leg. 1. Cod. de Juris & facti ign. 2. column. numer. 10. & ibi alii DD. Advertendum tamen, quòd licet in istis casibus non valeat prædicta donatio à milite, clerico, vel similibus personis;



nis; tamen non potest repetere donator nec ejus hæres, sed applicatur fisco: text. est singularis in leg. Mulierem. ff. de His quib. ut indign. facit text. junct Glossa ordinaria, in leg. His consequenter. §. 1. ff. Famil. ercis. Glossa ordinaria, & ibi communiter DD. in leg. Hæreditas. Cod. de His quibus ut indignis. (f)

69 Aliquando & sexto fit inter eos reciproca donatio ab ipsa leg. medietatis bonorum acquiritorum constante matrimonio, ratione societatis, & promiscui amoris & laboris in acquirendo & conservando: nam si maritus acquisivit aliqua bona constante matrimonio; eo soluto, dividuntur inter maritum & uxorem, vel eorum hæredes: itaque quilibet eorum prius & ante omnia sibi deducet patrimonium & capitale, quod habebat tempore contracti matrimonii, vel æstimationem ejus, si fuerit venditum vel consumptum constante matrimonio; & quidquid ultra reperitur superlucratum & acquisitum, dividitur inter eos ratione societatis & conjunctionis animorum & corporum, quæ inter eos videtur contracta: argumentum textus in reg. nuptias. ff. de Regulis juris, textus in leg. Cum fuerit. ff. de Cond. & demonstr. text. in cap. Debitum de bigamis, textus in cap. 2. de Sponsal. text. in cap. Cum societas, caus. 27. quest. 2. textus in leg. 1. ff. de Ritu nuptiarum, textus in leg. 1. ff. Rerum amotarum, textus in leg. Adversus. Cod. de Crimine expilatæ hæreditatis, textus in §. 1. l. Instit. de patria potestate, ita disponit lex 1. 2. & 3. tit. 3. lib. 3. For. II. & in leg. 1. & per totum tit. 4. lib. 5. Ordin. (g) & istud vult & præsupponit nostra lex Taur. Et merito prius & ante omnia deducitur proprium patrimonium & capitale uniuscujusque, vel æstimatio ejus; quia quando inter aliquos simpliciter contrahitur societas, intelligitur bonorum futurorum, remanente salvo capitali, nisi expressè & specialiter dicatur inter eos contrarium: ita probat textus in leg. Coiri societatem, cum legibus sequentibus. ff. Pro socio, & in leg. 3. §. 1. eodem tit. & in leg. Cum duobus. §. Damn. eodem tit. & in leg. Societatem universarum, eodem tit. & utrobique communiter

(f) Item est justissima lex, quod talis donatio non valeat, facta etiam concubinæ regulariter, etiam à quolibet privato; quia apertò fit ex causa turpi, & conservatur in futurum & remuneratur in præteritum, & inducit causam pietatis.

(g) Sic divisionem bonorum fieri debere soluto matrimonio docet Montalv. & Suar. in leg. 1. tit. 3. lib. 3. Fori propè fin. Greg. in leg. 55. tit. 5. part. 5. glossa magna, column. 2. versic. Et facit hic ad aliam questionem. Matienz. in leg. 1. tit. 9. lib. 5. glossa 2. num. 3.

(h) Ita tenet etiam Montalv. in l. 1. tit. 3. lib. 3. For. verb. de Cons. in fin. Greg. in l. 55. tit. 5. glossa magna. 3. column. in fin. part. 5. Matienz. in leg. 1. tit. 9. lib. 5. glos. 2. num. 1.

(i) Idem consilium præstitit Palac. Rub. in Repet. rub. §. 60. in fin.

(k) Itaque si maritus veniat ad matrimonium dives & opulentus, & mulier pauperrima, vel

DD. Quod extendit, ut procedat & habeat locum nedum in matrimonio vero, sed etiam in putativo: ita probat text. notabilis in cap. 2. de Donat. inter vir. & uxor. & ibi tenet & commendat Abb. & alii DD. probat etiam text. in leg. Si cum dotem. §. fin. ff. Solut. matr. ubi dos putativa habet privilegia dotis veræ: tenet etiam & commendat Palac. Rub. in sua Repet. cap. Per vestras, fol. 19. column. 2. Roder. Suar. in l. 1. tit. 3. lib. 3. For. II. quest. 1. & idem probat & disponit l. 4. tit. 6. lib. 3. For. II. Quod intellige quando mulier contraxit ignoranter: secus tamen si scienter; quia tunc nihil lucratur: ita probant prædicta jurâ, & expressè tenet Roderic. Suar. ubi supra.

70 In dubio autem, si non constet vel appareat an bona sint propria & patrimonialia, semper præsumuntur superlucrata & acquisita constante matrimonio, nisi contrarium probetur, de communi stylo & consuetudine hujus regni: Ita dicit lex 203. in l. stili, & tenet Glossa in leg. 1. tit. 3. lib. 3. For. II. in glossa 2. & tenet Palac. Rub. in sua Repet. cap. Per vestras, fol. 36. column. 3. versic. Hodie tamen, ubi dicit, quod ita practicatur: tenet etiam & declarat Roderic. Suar. in dicta lege 1. tit. 3. lib. 3. For. II. 24. fol. versic. Ad finem accedens. (h) Et sic erit optimum consilium, ut tempore contracti matrimonii fiat scriptura publica de omnibus bonis, quæ uterque conjux habet & adducit ad domum; quia illa prius deducuntur, & residuum communicabitur inter eos: ita tenet & declarat Roderic. Suar. in dicta lege. For. 2. quest. (i)

Fructus tamen prædictorum bonorum priorum utriusque conjugis, cujuscumque naturæ vel generis sint, qui supersunt soluto matrimonio, efficiuntur communes inter maritum & uxorem, & dividuntur inter eos tanquam bona superlucrata: ita disponit lex fin. tit. 3. lib. 3. For. II. & leg. 3. tit. 4. lib. 5. Ordin. Quod extendit, etiamsi unus plura bona habeat quàm alius. (k) Item adde, etiamsi fructus sint percepti ex rebus majoratus: argumento text. in leg. In ædibus. §. Ex rebus. ff. de Donat.

&

& tenet expressè Palac. Rub. in dict. repet. cap. Per vestras, fol. 38. col. 2. Ex quibus infertur, quod hodiè cessat disputatio Glossæ & Doctorum in leg. Ubi adhuc, Codic. de Jure dotium, an maritus lucretur fructus rerum paraphernalium? (l) Si verò fructus nondum fuerint collecti & separati à solo, sed tantum pendentes in re vel fundo; similiter sunt communes, & dividuntur inter maritum & uxorem, soluto matrimonio, si jam sint nati & apparentes in re vel fundo, si autem non sint nati nec apparentes, non communicantur, sed fiunt ejus, cujus est proprietas. Quod est verum, & procedit, si fundus est vinea, vel hortus, vel continens arbores: secus tamen est, si fuerit fundus mere rusticus, in quo frumentum est seminatum; quia licet nondum appareant fructus, nec sint nati, pendentes dividuntur inter eos; si verò nullum frumentum est seminatum, nihil communicabitur inter eos, sed dominus fundi vel proprietatis tenetur solvere alteri conjugi vel hæredibus ejus medietatem sumptuum, & expensarum factarum in re vel fundo: ita disponit singularis, & ingeniosa lex 10. tit. 4. lib. 3. For. II. (m) fructus tamen ex pecoribus indistinctè communicantur & dividuntur inter eos, licet non sint nati, sed in ventre: ita dicit & concludit ibi Gloss. ordinaria in dict. lege 10. & Palac. Rub. in dict. cap. Per vestras, fol. 38. col. 2. ubi dicit quod ita practicatur. (n)

72 Quod tamen limita & intellige, præterquam in casibus sequentibus, in quibus prædicta

bona acquisita superlucrata non communicantur inter eos: Primus est, inter sponsos de præsentanti ante ductionem ad domum, & simultaneam habitationem; quia licet in favorabilibus, ex benigna interpretatione, dispositum in marito & uxore habeat locum in sponsis de præsentanti, ut in leg. Non sine, vers. Quamvis, Cod. de Bon. quæ lib. tamen hoc non procedit nec habet locum quando est diversa ratio, ut in nostro casu, in quo prædictæ leges requirunt quod ambo vivant simul & de consensu; quia ab illo tempore est contracta societas. (o) Item etiam propter curam & diligentiam quam præstat uxor: & in expresso ita tenet Gloss. ordinaria in dict. lege 1. tit. 3. lib. 3. For. II. Doctor de Segur. in Repet. l. Unum ex familia. §. Si fundum. ff. de legat. 2. fol. 46. totius oper. 3. col. Palac. Rub. in sua Repet. fol. 37. col. 2. versic. Unde lucra habita, quem vide, quia notabiliter loquitur. Ex quibus notabiliter infertur, quod si uxor seorsum habitat à marito, factò inter eos divortio culpa uxoris, ut propter adulterium, vel ex alia culpabili causa, non lucrabitur medietatem bonorum postea quæsiturum, (p) secus tamen si absque culpa uxoris, ut si propter sævitiam mariti uxor fugiat in monasterium, vel petat divortium; quia lucrabitur hauc medietatem bonorum: & in expresso ita tenet & concludit Doctor Palac. Rub. in dict. sua Repet. fol. 40. versic. Limitabis, 2. part. column. 3. quem vide, quia bene fundat. (q)

Secundus est, quando illa bona acquisita &

à contrario, semper communicantur lucra constante matrimonio quæsitæ: idque semper vidisse practicari asserit Suar. in leg. 1. tit. 3. lib. 3. Fori limit. 1. Boer. dec. 21. num. 31. quibus accedit Matienz. in leg. 2. tit. 9. lib. 5. gloss. 1. num. 8. licet Montalv. in leg. 3. tit. 3. lib. 3. Fori, levibus fundamentis contrarium probare nitatur, & Cassan. in Consuet. Burg. rubr. 4. §. 2. verb. Marice, num. 2. & 3. Et Acquen. num. 14. & 16. quorum fundamentis plenè satisfacit Matienz. ubi supra.

(l) Vide Greg. in leg. 17. tit. 11. part. 4. verb. Todos los bienes. Matienz. in leg. 4. tit. 6. lib. 5. glos. 1. in fin.

(m) De qua vide leg. 26. tit. 1. part. 4.

(n) Idem tenet Montalv. in dict. 10. tit. 4. lib. 3. Fori. Matienz. in leg. 4. tit. 9. lib. 5. Repet. glos. 1. num. 4.

(o) Hunc primum casum confirmat etiam Montalv. in leg. 1. tit. 3. lib. 3. Fori, glos. 1. Palac. Rub. in leg. 16. Taur. num. 12. Castell. verb. Durante el matrimonio, & Cifuent. num. 1. Covarr. in Epitome de Sponsalib. 2. part. cap. 7. §. 1. num. 6. communemque sententiam testatur Matienz. in leg. 2. tit. 9. lib. 5. glos. 1. num. 41. apud Gallosque communi usu fori receptum testatur Boer. decis. 22. num. 27. & 33. Decius consil. 260. & consil. 54. num. 7. idem Boer. in Consuetudinibus Bituricensib. tit. de Consen. matrimonii, §. 2. column. 5.

(p) Idem etiam tenet Aviles in cap. Pretorum in proæmio, & Aceved. in leg. 3. tit. 1. lib. 5. Repet. & in leg. 4. tit. 2. lib. 5. num. 10. & num. 21.

(q) Idem docet Palac. Rub. in leg. 16. Taur. num. 29. Castell. ubi glos. magna, col. 7. vers. Sed pone quod uxor. Matienz. in leg. 2. tit. 9. lib. 5. glos. 1. num. 46. & 47. Covarr. de Sponsal. nup. cap. 7. §. 1. num. 6. Pinel. in leg. 1. part. 1. Cod. de Bonis maternis, num. 58.